

**www.e-rara.ch**

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,  
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad obtinendum  
futurum infinitum, cum participio salutis**

**Abraham**

**Coloniae Agrippinae, anno 1719**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRa 53: b

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25379>

Sermo XXXVII. De oratione, &c.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Joel. 1.  
v. 5.

recensere liceret, si id brevitās hujus libri non prohiberet, ex quibus sat abundē-  
que constare possit, quā severē Deus in eos animadvertat, qui se velut bru-  
tum vino ingurgitare solent. Proinde exclamat Joël: *Expergiscimini ebris, & flete,*  
*& ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam peris ab ore vestro.* Quam-  
obrem chare frater, ne te crapula & ebrietas in peccatorum abyssum præcipitem  
quondam agat, utere nunc vino moderatē, servando scilicet ea, quæ in sermone  
præcedenti memorata sunt, sic enim haud dubiè malum, in quod etiam Religiosi  
nonnunquam ob vinum immoderatē sumptum cadunt, effugies, salutemque tuam  
in tuo collocabis portu. Vale.

## S E R M O XXXVII.

D E

Oratione, &c.

*Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.* Joan. 16. v. 23.

P A R S P R I M A.

L. 3. de  
Fid. in  
Psal. 85.

**O**Ratio, ut eam S. Damascenus definit, est elevatio mentis ad DEUM.  
Vel ut S. P. N. Augustin. Est locutio ad Deum: quando enim legis,  
tibi loquitur Deus, quando oras, cum Deo loqueris. Euseb. P. Baltha-  
zar Alvarez Soc. JESU. Orare, inquit, est spiritum suum ad Deum elevare,  
eique res suas omnes familiariter, magnaque cum reverentia communicare, sicut  
solet amicus cum amico, cui fidis. Porro qualem oratio effectum præstet, pulchrè  
id innuunt sancti Patres, qui hujus dignitatem, efficaciam & necessitatem mirum  
in modum commendant, ut frequens illius exercitium fidelibus persuadeant. S.  
Dionysius Areopag. pulcherrimo Symbolo, & erudienti hieroglyphico aureæ ca-  
tenulæ à cœlis emissæ, ad Sydera & ad ipsum Deum nos trahentis orationem de-  
pinxit & adumbravit. S. Chrysostomus docet, quod sicut corpus humanum abs-  
que nervis motum aliquem habere non potest, ita neque animâ absque oratione,  
subindeque quod anima oratione destituta est veluti paralytica. Quemadmodum,  
inquit, corpus nervis cohæret, currit, stat, vivit, & compactum est, adeo ut si  
nervos incidas, universam corporis harmoniam dissolves: Ita animæ per sanctas  
preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cursum facilerè peragunt. Quod  
si remetipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extra-  
meris: ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur velut ex a-

L. de di-  
vin. nom.

L. 3. de  
orando  
Deum.

quis subvolare, cœlumque transcendere, ac propè Dominum fieri. Hactenus Chrysoft. S. Bernardus asserit, quòd oratio est cella vinaria, in quam Sponsus introducit Sponsam, hoc est, animam dilectam, ubi inebriatur vino devotionis, quod lætificat cor, & torrente voluptatis potatur.

2. S. P. N. Augustinus. Oratio iusti, inquit, clavis est cœli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Dominus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Et alibi in laudes orationis totus effusus, sic exclamat: Quid oratione præclarius? Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratiam Deo obsequium, columna sanctorum virtutum, animæ scala, fundamentum fidei, Religionis laus, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. O oratio sancta! beatus qui te amat, sed beator, qui te frequentat. Ita gloriosus Doctor. Ulterius oratio, teste S. Thoma de Villanova, præstat, quod calor naturalis in stomacho, nempe vitam hominis conservat, alimenta concoquit, membra vegetat, totumque hominem restaurat. Sine hac, est Religiosus, velut miles sine armis, imbellis scilicet, imò nudus, ut S. Thomas Aquinas refert. Quemadmodum ergo miles, ut idem sanctus Doctor loquitur, sine armis ludibrium est hostibus, utpote sine quibus neququam nocere, facile autem ab iis superari potest; ita homo sine oratione, cum se contra insultus dæmonum tueri non valeat, haud difficulter ab iis vincetur, & subjugabitur. E contra, ut os aureum Chrysostomi ait, si dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt, non aliter ac prædones ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Oratio etiam vel maximè conducit ad virtutes comparandas: Est enim inter virtutes & orationem reciproca quædam & inseparabilis conjunctio, ut Abbas Isaac apud Cassianum loquitur; nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmine omnia fuerint colligata, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Hinc S. Climacus vocat orationem Matrem & Reginam, & cibum & fontem virtutum, & gratiarum ministram, & profectum invisibilem. Id quod ipse etiam Deus S. Catherinæ Senensi confirmavit dicens: Noveris filia charissima, quòd in oratione humili, continuâ & fideli, cum vera perseverantia, lucratur anima perfectionem & omnem virtutem.

3. Ad hoc precepcionis studium iterum nos invitat Christus hisce verbis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ergo certum est nos per preces omnia impetrare à Deo posse, cum hoc promittat noster Salvator, qui nec falli nec fallere potest. Hinc qui experitur Deum esse in donis sibi largiendis precum, debet seipsum inculpare, quòd hactenus ea non per preces petierit, aut saltem non eo modo, quo debuisset; Deus enim nihil vult dare nisi per orationem, quemadmodum Christus iterum indicavit dicens, petite, & accipietis. Porrò ratio, cur quàm plurimè nihilominus non exaudiantur,

Ser. 49. in  
Cant.Ser. 126.  
de Temp.Apud Ro-  
driq. p. 1.  
r. 5. c. 14.L. 1. de o-  
ratio DeoCass. colla.  
9. c. 1.

Grad. 28.

Dial. 6.  
66

Joan. 16.

Joan. 16.  
v. 24.

Timen. 3.  
v. 44.

tur, licet sæpe precibus apud Deum instent, est prima, quia opponunt nubem peccati, ne transeat oratio, & manus sanguine Christi pollutas ad Deum extendant; hinc quia is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, ut rectè dixit S. Gregorius. Quid enim iniquius quàm à Deo exaudiri velle, & illum vicissim, quæ mandat, non exaudire? Similium oratio Deum magis ad iram quàm misericordiam provocat. Plus placet, inquit, S. P. Augustinus, Deo latratus canum, mugitus boum, grunntus porcorum quàm cantus Clericorum luxuriantium. Unde Salomon. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Quod non obscure confirmare licet hæc historiâ.

Prov. 28.

Bover.

v. 47.

Historia

Justinus beatæ memoriæ Capucinus aliquando raptus in extasim pervenit in spiritu ad quorundam Religiosorum, qui Capucinorum Religionem averfabantur Ecclesiam, cum Religiosi Matutinum officium peragerent. Speravit bonus Pater auditurum se concentum Angelorum, sed ecce nihil percipere aliud potuit, quàm horrendos latratus canum, grunntus porcorum, mugitus boum, & verba blasphemiarum. Territus hoc tam monstroso matutino supplex à Deo poscit, quid hoc sibi velit? Et vox ad eum: Illorum Religiosorum preces, qui dissolutè vivunt, regulam negligunt, aliosque rectè viventes impediunt, nihil aliud esse, quàm blasphemias ac voces belluarum. Ex quo patet ratio, quare Deus multos non exaudiat, quia peccatis polluti ad Deum accedunt. Quamobrem S. Joannes ait: *Scimus quia peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Errorsus: *Si manseritis in me, dicit Salvator, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Idcirco qui discupit exaudiri à Deo, necesse habet, ut pro viribus conetur implere ejus præcepta.

Joan. 9.

v. 31.

Joan. 15.

v. 7.

Matth. 11.

Psal. 32.

Hom. 1. in

Evang.

C. 11. v. 8.

4. Secunda causa, cur aliqui non exaudiuntur, est, quia non orant cum fiducia. Proinde monet Christus, *Omnia quacumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Hinc commune Theologorum dogma est, mensuram credendi esse, mensuram impetrandi, juxta quam S. David. dixit: *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te.* Tertia est, quia non petunt perseveranter. Quare monet S. Gregorius, dicens: Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Est igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus, cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum cælorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis cælis inferas. Bona violentia, quæ Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur: peccatum mituitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, quæ non quæritur lucrum citò periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum: ita Greg. Hoc ipsum etiam nobis mandat Salvator apud S. Lucam, loquens: *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabis illi, quotquot habes*

*habet necessarios.* Itaque in oratione perseveraturis evenire solet, quod accidit tenebricosum cubiculum subituris, illi tametsi principio nil videant, si tamen istic morentur, perspiciunt omnia, quæ in eo sunt, ita idem sperare potest, qui in oratione primò parùm videns, tamen in ea perseverat, Hinc rursus Salvator, *Petite, inquit, & dabitur vobis, quærise, & invenieris: pulsate, & aperietur vobis.* Quæ verba ponderans Cornelius Jansenius: *Petite, quærise, pulsate.* Tridus inquit, istis sententiis unum & idem significatur, nisi quod congeries sententiarum commendat fidentem, instantem, & ardentem precationem. Nam ipsum *petere* fiduciam in oratione necessariam, indicat: *quærere* verò, diligentiam; *pulsare* ardorem & perseverantiam.

Luc. 6. 1

5. Verùm enim verò, quamvis nunc memoratum Christi effatum verissimum sit, nihilominus tamen non paucos reperire licet, qui de hoc subdubitare incipiunt; quippe, qui crebrius fores cœlestium pulsando, tanquam ære fusæ essent, nullis eas suspitiis emollire potuerint; rogitabant instanter, petebant ferventer, quærebant sedulò, nihil tamen acceperunt, vel invenerunt: Unde in multorum pectoribus remittit illa concepta in Deum fiducia, & precandi ardor refrigescit. At tales scire debent, quòd S. P. Augustinus dicat: Quando Deus non dat, quod petitur, ideò non dat, ne obsit, quod datur. Paradoxon quidem videtur, sed certissimæ veritatis est: Sæpè quantò minùs à Deo audimur, tantò magis exaudimur. Id quod præfenti narratione demonstrabitur.

Tom. 9. in  
Ps. 140.

6. Inter Alexandriæ cives fuit non nemo nomine Philochristus, qui mercaturam mari faciebat, navesque in ultimam Africam mittebat merces advecturas. Hic, ut prosperum ex Africana navigatione reditum filio unigeno, fratrique suo à Deo impetraret, accessit S. Joannem Eleëmofynarium, & seipsum ac dimidiam auri libras in egenos distribuendas offerens, id unum rogabat, ut S. Præsul suis precibus Vectores Deo commendaret; Quod, etsi S. Patriarcha fideliter præstaret, non tamen exauditus erat, paulò enim post adfuit nuntius, qui & filium lethali febricula tentatum obiisse, & sævâ coortâ tempestate, onerariam cum omnibus mercibus periisse, ac solos homines evasisse, cum fide exponit. Concussit paternam pectus non simplex dolor, navis inieritus, mercium jactura, immaturus filii obitus, aurum frustra in pauperes expensum, continuit tamen se, ut non in quærimonias adversùs Deum, aut Patriarcham eruperit. Porrò, quamvis S. Antistes id simul intelligens Philochristum consolari laboraret, parùm tamen effecit. Ergò cum humanum deesset auxilium, adfuit divinum. Sequenti nocte afflictissimo civi visus est in somnis adstare Antistes, & hæc dicere: Quid angeris frater, & cur mœrore dissolveris? An non rogasti me, peterem à Deo, ut saluum haberes filium? en salvus est, & beatorum sedibus adscriptus, nunc inter cives paradisi lætus degit. Crede mihi, si proximisset, sibi, tibi, DEO, non minùs an tunc quam corpore periisset. De navi tua hoc scito: N. si tibi Deum eleëmofynâ unum liberali conciliâsses, illa cum omnibus, qui eâ vehebantur, fuisset fluctibus huius,

Historia.

inter quos & fratrem tuum jam mare sepeliisset, quem tamen sospitem recepisti: Surge igitur, & Deo gratias age de Filio jam salvo, & fratre insuper recepto. Ab hoc somnio Philochristus evigilans, mox ad S. Patriarcham accurrens, ad genua illius advolutus narravit, quæ sibi per proximam noctem species fuisset objecta, quantumque solatium verbis affusum. Hinc discimus, quanta sit subinde Dei misericordia, si preces nostras non exaudit ad votum, ut exaudiat ad sanitatem, ut S. Isidorus loquitur, qui & addit: multi orantes non exaudiuntur, quia Deus meliora illis providendo, quam petunt, reservat, sicut contingere solet parvulis, qui, ne in schola vapulent, Deum exorant; sed non datur illis postulationis effectus, quia impeditur tali auditione profectus.

*L. 3. de sũ.  
Bono.*

*Serm. 1.  
de verb.  
Dom.*

7. Præterea sciendum, quod Deus dona tua tardiùs dando commendat, non neget, ut testatur S. P. N. Augustinus: desiderata diu, dulciùs obtinentur: citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta, petendo & quærendo crescas, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magis desiderare. Arbor cum plantata est, non protinùs grandescit, aut fructus parit, ita nec oratio supervacanea est, quia non illicò fecunda. Hoc ipsum jam olim figuratum est in columba ex arca à Noè emissa, quæ primo die quidem vacua, sed octavo die cum ramo olivæ rediit; simili modo oratio è corde dimissa, licet non statim prima vice exaudiatur, suo tempore tamen fructum referet, ramumque divinæ misericordiæ afferet. Quamobrem chare frater, si à Deo exaudiri velis, necesse est, ut removeas nubem peccati, & cum filiali fiducia in precum exercitio perseveres.

### P A R S S E C U N D A.

8. Præter alia ad orationem requisita, etiam requiritur, ut non sit voluntariè distracta. Sicut enim ii, qui ad audientiam magni Domini admittuntur, famulos suos extra conclave relinquunt; ita, qui ad Deum oraturi accedunt, creaturas & negotia (quæ ad famulandum homini datæ sunt) extra cordis conclave, vel templum relinquere debent; qui hæc non præstat, odium potiùs quam favorem à Rege cœlesti reportabit teste S. Chryostomo, qui ait: Si quis supplicum tibi advolvatur ad genua, sed manibus atrectet sordidissimis, quas paulò antè luto merferit, non modò non eum exaudires, sed calcibus etiam expelleres; ita nec Deus exaudiet orationem, quæ sordida mente peracta est. Unde S. Bernardus vice quadam nocturnis vigilis assistens vidit Angelos diligentissimè singulorum orationem notantes, & illorum quidem, qui cum fervore eam peragebant, aureis: eorum, qui minùs ferventer orabant, argenteis; qui voluntatem bene orandi absque effectu habebant, atramento: qui somnolenter & pigrè, ac oscitanter Deum laudabant, aquâ scribebant: de illis, qui vel peccato mortali obnoxii, vel voluntariè distracti erant, nihil notabant.

*In Ps. 142.  
Specul.  
exam. v.  
Aug. ex.  
III.*

9. Verùm absque omni mentis evagatione orate, hoc opus, hic labor est.

Fratres

Fratres quidam Abbatem Agathonem interrogabant : Pater quæ virtus in Con-  
 versatione plus habet laboris ? & dixit eis : Ignoscite mihi , quia puto , non esse  
 alium laborem talem , qualem orare Deum . Dum enim voluerit homo orare  
 Deum suum , semper inimici dæmones festinant Intertumperè orationem ejus ,  
 scientes , quia ex nulla re impediuntur , nisi per orationem ad Deum : siquidem  
 omnem laborem alium , quem homo in religiosa conversatione positus assumpse-  
 rit , quamvis instanter & toleranter agat , habet tamen , & possidet aliquam re-  
 quietem : oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est , ut habeat laborem  
 magni certaminis . Sed ò Deus ! cujus mens non aliquando alienis cogitationibus  
 distrahitur ? S. Hilarion oravit aliquando fixo in terram capite , & ut natura fert  
 hominum , ait S. Hieronymus , abducta ab oratione mens , nescio quid aliud  
 cogitabat , insilivit dorso ejus festinus agitato diabolus , & latera calcibus , cervi-  
 cem flagello verberans . Eja , inquit , eja curte , quid dormitas ? eacinnanque  
 desuper , si defecisset , an hordeum veller accipere , sciscitabatur . S. Franciscus  
 Seraphicus evagationes mentis pro gravi peccato habebat , easque statim confite-  
 batur . Cum semel oraret Tertiam , & incidere ei vasculum , quod paulò ante fe-  
 cerat , finicà oratione vasculum conjecit in ignem , dicens : En sacrifico teci , cujus  
 sacrificium impedisti . S. Stephanus Abbas Cisterciensis chorum ingrediens ,  
 manu januam apprehendit , dicens : Manete hic cogitationes , quoadusque divi-  
 num persolvero officium : postea , si necesse fuerit , redite . Verè ars artium est in-  
 ter orandum mentem sic ligere , ut furtim quandoque non exspatiatur . In hac  
 porrò inconstantia & miseria consolatur nos sententia S. Climaci . Si dum oras ,  
 inquit , inimicus subtilissimè irrepit , animique intentionem clam , ut fur avertit ,  
 bono animo esto , dum semper lubricam revocas mentem , Angelis enim solis da-  
 tum est , hujusmodi non patere furibus .

S. Bonav.  
in Vita.

Clim.  
grad. 4.

Cum ergò ita sit . Idcirco antiqui Patres utiliùs censuerunt breves qui-  
 dem orationes , sed ereberrimas fieri : Unde S. P. August. Fratres , inquit , in Æ-  
 gypto crebras quidem habent orationes ; sed eas tamen brevissimas , & raptim quo-  
 dammodo jaculatas , ne vigilanter erecta , quæ oranti plurimum necessaria est ,  
 per productiones moras evanescat , atque hebetetur intentio . Ab instructione An-  
 geli descendit hic modus ; qui cum Pachomio per diem non nisi duodecim oratio-  
 nes præscriberet , & Pachomius nimis paucas esse quereretur , respondit Angelus :  
 Has constitui , ut parvi quoq; possent procedere ad perficiendam regulam , nec eis  
 esset molestam : perfectos autem non indigere regulam , cum totam vitam in suis  
 cellis contemplando possint peragere . Hinc etiam S. Benedictus in Regula vult ,  
 ut fratrum oratio sit brevis & pura : Nam teste S. Romualdo , melior est unus Psal-  
 mus ex corde , quàm centum cum distractione . Rectè itaque de oratione sciscitan-  
 tibus respondit S. Macarius , non est opus multa verborum copia , manus ad Deum  
 crebriùs pandendæ ; clamandumque : Domine , quomodo vis , & sicut tibi placer ,  
 ita fiat . S. Franciscus per diem & pernox in illa oratione hærebat : DEUS meus  
 & om-

Pallad.  
de Pa-  
chom.

S. BONAV.  
in Vita.

Specul.  
Exempl.

12.

BOV. AN.  
1582.  
Historia.

BOVER.  
AN. 1539.  
Historia.

& omnia, ex qua brevissima oratione ita divino amore succensus est, ut sæpe visus  
sibi corpore sublevatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus.

11. Cæterùm, quia dæmon haud ignorat præstantiam devotæ ac attentæ ora-  
tionis, ideo omnibus viribus satagit, quò hanc nêdum distractam, sed tepidam  
etiam ac socordem reddat, aut ad minus interrumpat. Hinc cum nefarius hic ho-  
stis quondam militi cuidam hominis specie assumptâ diu fidelissimè serviisset, ideo-  
que præmium petere juberetur, non aliud petiit, quàm ut campanam in templo  
quopiam suspendi curaret, ne hujus defectu orationis tempus antevertant, sicque  
eidem diutius vacent. Quid non etiam tentârunt versipelles hostes, quò S. Hi-  
larionem ab oratione abstraherent; Spectaculum pugnantium gladiatorum præ-  
buerunt, sic, ut unus quasi interfectus, & ante pedes ejus corruens sepulturam  
rogaverit. Coram S. Pachomio multi convenientes in unum, arboris folium ma-  
gnis funibus colligere videbantur, & summo conamine trahere dextra, lævaque  
ductis ordinibus, ac sese mutuo cohortantes sic insistere nitabantur, ac magni  
lapidis moverent pondus immensum. Frater Vitus Hyrmienis Laicus inter Ca-  
pucinos admodum perfectus, dum in Agricensi Conventu pomeridiano tempo-  
re cum Novitiis communi orationi in Ecclesia incumbit, vidit per eandem Eccle-  
siam Satanam incedere scabellulis ac pulvillis onustissimum, quem cum rogaret,  
quid ea sibi vellent, audivit: Misereor Novitiorum, qui cum defatigati ad oratio-  
nem accesserint, sibi quærunt sedes ad sedendum, ac talos ad cubitos apponen-  
dos. Ut ergò mollius orarent, hæc, quæ vides, apportare volui. Videat ergò  
nunc aliquis, quanto conamine Orcus preces impedire conetur.

12. At, ut etiam agnoscamus, quantum tripudient, quantumque incedant  
gaudiis hostes Tartarei, dum nos in oratione socordes reddunt, addere libet se-  
quentem Historiam. Mos erat apud Capucinos, ut finitis de nocte vigiliis duas  
horas in choro per hyemem infumerent in sacris meditationibus, ut Zacharias  
Boverius commemorat. Bergomi autem factum est, ut fratres aliquando ex lon-  
ga oratione ac meditatione fatigati omnes præter unum in somnum relaberentur.  
Exinctum erat lumen, & inde negligentia facilius delitescibat: vigilanti tamen u-  
ni hoc visu demonstratum est. Videbat enim subito unum horridum Æthiopem  
insilire cum gaudio in Ecclesiam, ibique & saltitare, & tympano molliter lade-  
re, & choros non sine effusa lætitia agere; deinde paulatim ad fratres accedere,  
eosque blando tactu mulcere ad somnum protrahendum. Nesciebat vigilans  
Pater, quid vellet sibi hic ludus eadæmonum. Ergò de manica extrahit ignia-  
rium, accendit lumen, & videt passim omnes obdormisse. Quos ubi excitavit,  
cum horrore monuit, quo plausu satanæ, & quo ipsius astu in tantam socordiam  
pervenissent.

13. Nonnunquam etiam versipelles Orci satellites nunc unum à choro penitens  
detinent, alterum eliciant, tertium seriùs adire faciunt. In choro hunc reddunt  
distractum, illum inertem, alium properantem; Sic nempe sunt versuti ad omnia,  
versati

versati in omnibus. Veniebat ex his maleferiatis nebulonibus unus ad S. Macarium dicens: Surge Abba, eamus ad collectam nocturnam. Cui Sanctus Vir: O mendax & veritatis inimice, quid tibi confortii, quid societatis est cum collectis, & congregatione Sanctorum? At ille: Latet te ergo Matari, quod sine nobis nulla collecta agitur? Veni, & videbis. Tunc ille; Imperet tibi Dominus: Et conversus ad orationem petiit à Domino ostendere ei veritatem. Itaque abiit, & ecce, vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos Æthiopes discurrere huc, atque illuc volitando deferrì. Miris est autem inibi sedentibus cunctis ab uno dici Psalmum, cæteris vel audientibus, vel respondentibus. Discurrentes ergo illi Æthiopes parvuli singulis quibusdam sedentibus alludebant, & si cui digitulis duobus oculos compressissent, statim dormitabat: Si cui verò in os imersissent digitum, oscitare eum faciebant: Ubi verò post Psalmum ad orandum se projecissent fratres, percurrerant nihilominus singulos, & ante alium jacentem in oratione quasi mulierum specie ferebantur, ante alium quasi ædificantes, atque portantes aliquid, ac diversa quæque agentes apparebant. Et quæcunque dæmones quasi ludendo formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant, ut postea singulorum relatione monstratum est. A nonnullis tamen ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi vi quadam repulsi præcipites dejiciebantur, ita ut nec stare quidem prostris, aut transire juxta eos auderent: alii verò etiam infirmis fratribus supra cervices & dorsa ludebant: quia non erant in oratione sua intenti.

14. En mi frater petulantiam ac invidiam hostis humani generis & orationis nostræ. Sed quantum etiam socors oratio Deo displiceat, docet nos Christus, qui dormienti sub oratione Monacho obversis humeris apparuit, asserens servum tam pigrum non mereri videre faciem suam. Alteri sub choro dormienti imago Christi descendens tantum colaphum inflixit, ut tribus post diebus fuerit extinctus. Propheta dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Merito ergo punitur, qui hoc monitum surda pertransit aure. S. Anno Coloniensis Archi-Episcopus à Christo castigatus est, quod Diaconum integro anno secum horas canonicas orantem non punierit, dicentem ex linguæ præcipitantia *Gloria Patri & Spiritui sancto* omitiens & Filio quod Anno non adverterat. Quid putamus ipsi Diacono contigisse? Et tamen glutimus & truncamus quotidie verba & syllabas immemores Historiæ, qua cacodæmon semel ingentem sarcinam ejusmodi syllabarum secum ex choro portavit in futurum Dei judicium. Porro aliquibus hic nefarius hostis suadet, ut seriùs ad chorum accedant. Pessimum hoc Religionis judicium est. Bartholomæus ex Episcopo Monachus cum inter Clericos aliquando sederet ad collationem fratrum, aspexit quendam Monachum seriùs adventantem, nigrumque puerulum juxta eum gradientem, atque per cucillum tenentem. Quod cum Abbati retulisset, intellexit haud esse mirum, hunc fratrem à dæmone regi ac duci, cum sit vitæ admodum negligentis.

Ruffin. l.  
1. Vita  
PP. c. 29.  
Historia.

Rodrig.  
p. 1. tr. 5.  
c. 24.  
Hierem.  
48.  
Surius in  
vita.

*Hom. de  
Abdic.  
rerum.*

*Historia.*

15. Nonnullos instigat, ut ante finem orationis discedant. Quot genera hæc quærentur vanarum causarum? Quamobrem S. Basilius monet: Ne discedas, inquit, ante finem orationis unquam, reputans discessum talem gravem jacturam: Si enim carnem tuam pascens à mensa facile non recedis, priusquam satur es, quanto magis nutrimento spiritus ad finem usque inveniendum. Frater quidam erat in Carthusia Londoniensi nomine Georgius: huic cuncta in cœnobio erant nimis onerosa. Unde semel tædio victus à divino vesperarum officio recessit deambulatum, ut solebat, in capitulo. Vix pedem intulis, & imago Christi in Crucem fixa ob ingredientium oculos collocata, averfa facie dorsum fastidienti Monacho præbuit: quo viso miser è vestigio amens efficitur, cadensque in desperationem per medium annum sic permansit. Quo elapso Fratrum precibus sibi quidem restitutus est, sed nulla vitæ inertissimæ subsequuta est emendatio. Quippe eò usque processit hominis malitia, ut ex sententia generalis Capituli ab Ordine projiceretur. Talem exitum meretur fœcordia in oratione. Et verè magna impudentia est colloquium cum divina Majestate cœptum temerè interrompere. Nec quisquam personam Judæ proditoris de cœna Dominica immaturis exeuntis melius representat, quàm is, qui ante tempus à collectis discedit.

*Boverius  
1592.*

*S. Doro-  
th. Doct.  
11.*

16. Hinc ex Regula S. Pachonii sine licentia nullus audebat exire de choro. Quæ lege blandiri sibi fortè possunt Superiores ipsi, qui cum non habeant, à quolibet impetant, pro voto intrant & exeunt. Quorum causæ supremo tribunali reservantur: Interim audiat aliquis: Cosmas à Martino Magister erat Novitiorum inter Capucinos. Hic ut defunctus est, P. Vincentio Andriensi apparuit. Rogatus quæ te haberet in altero mundo, respondit: Propter quædam venialia in purgatorio detineor: eorum maximum Deus judicavit, quòd sub horis Canonicis subinde choro egressus sum, ut Novitiorum laborantium opera inspicerem. Ita nec bonus prætextus absque culpa est, dum à Choro abstrahit. Sed ut etiam intelligamus, quantam à Deo benedictionem reportent illi, qui Psalmodiæ devotè usque ad finem assistunt, colligitur ex visione quadam Dioratico viro Sancto monstratâ, qui teste S. Dorotheo vidit noctu in principio Psalmodiæ è Sacratio egrediente Angelum veste splendida indutum, qui omnes religiosos præsentés obambulando signabat, uti & subsellia legitimè absentium; pertransisse verò loca eorum, qui per desidiam aberant.

*In itin.  
perf. 6.  
28.*

17. Enim verò nunc dictis consultum erit aliqua specialia addere de oratione mentali, quæ teste S. Theresia omnium virtutum comparandarum vel principium est, & in qua omnium Christianorum vita sit constituta: cujus vel unicus quadrans legitimè insumptus, teste S. Ignatio Lojola, sufficit ad hominem brevi tempore ad apicem perfectionis perducendum. Hinc eam tantè æstimavit P. Franciscus Suarez, qui omnem Theologiam compluribus tomis egregè illustravit, ut ingenuè fassus sit malle se quidquid scientiæ acquisivisset, perdere, quàm unicam solitæ meditationis horulam intermittere. Etenim nihil ad cor humanum divino amore succen.

succendendum tam efficax est, ut meditatio attenda, teste Psalmista dicente: *Concaluis cor meum intrame, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quemadmodum enim chalybis affictu, ut loquitur S. Cyrillus Alex. ignis copiosè ex lapide exsilit: ita dum mens discursu, meditationeque quasi percutitur, ignis amoris divini, & desiderium perfectionis excitatur. Præclarè etiam meditationis fructum S. Bernardus in hæc depingit verba: Consideratio rerum particularium mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat; agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorectum aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. Cui concinit S. Laurentius Justinianus, per hæc excurrans verba: Nihil aptius Deum possidere facit & mentem refrænât, quàm attenda meditatio, quæ in oratione proponitur. Hæc siquidem cor amover ab exterioribus, & ad se redire compellit. Hæc est disciplina mentis, spiritualis prædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, & intentionis mentis provida gubernatrix. Ex ipsius assiduitate stabiliscitur mens, purgantur cogitationes, solitudo sapit, delectat Deus, ingenium acuitur; castificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta suspenditur. Ipsa est spiritualis janua orationis, per quam VERBUM ab ingredientibus agnoscitur, & puris manibus honoratur. Quamdiu mentis oratio veraciter possidetur, tanquam oculi pupilla custodienda, & velut quoddam spirituale depositum servanda: ita S. Patriarcha. Unde liquet, quàm necessaria, quàm utilis, & quàm fructuosa sit meditationis frequentatio, sine qua tanùm nullus sibi persuadeat, posse fieri bonum Religiosum: hoc probè agnoscunt Constitutiones nostræ, unde sancunt, omni die, ut bis orationi mentali semper per horam omnes incumbant. At Væ illis, qui hoc Angelicum exercitium ob teporem animi refugiunt, reddent enim olim strictissimam de omni quadrante neglecto rationem. Ergo mi charè frater, ne propterea divino involvaris iudicio, satage nunc sedulè te huic exercitio dedere, & cave, ne propter frequentes ariditates id permittas; quod enim fecit Patriarcha Josephus suis fratribus, facere solet Deus suis servis. Hic etsi fratres suos duriusculè allocutus sit, iussit tamen interea æconomum saccos ipsorum frumento & pecuniis impleri; ita Deus etsi quandoque durius in meditatione per ariditatem suos filios habeat, mentem tamen interea cælestibus donis replet. Verùm, ut in hoc exercitio te dirigere queas, subnectam modum brevem meditandi, quem à meo Magistro in Novitiatu accepi, quem si diligenter observaveris, haud dubiè comperies, quàm suave sit servire DEO, quin & exultandus exultabis cum Psalte Regio: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Psal. 38.

L. 1. de  
Confid.  
c. 7.De Casto  
Connub.  
c. 22.Ps. 30. v.  
20.

Fructuosa Praxis orationi Mentali ritè  
& Ordinatè vacandi.

**O** Ratio mentalis est duplex, affectiva & intellectiva. Affectiva est, præsuppositâ simplici rerum Divinarum apprehensione, piorum affectuum excitatio. Intellectiva est, mediis in electis operationibus voluntatis in Deum elevatio. Intellectiva rursus subdividitur in cogitationem, meditationem, & contemplationem. Cogitatio est improvisa Dei, aut rerum ad Deum pertinentium consideratio. Meditatio est, attentâ mentis consideratio cunctanter procedens, & rei cuiusque naturam, proprietates, actionesque utiliter inquirens, ut Deo cultam exhibeat, affectus moveat, orationes puras ferventesque depromat, & vitæ emendationem afferat. Contemplatio est sincera Dei & rerum divinarum inspectio, discursibus carens, Dei amorem inducens.

Materia seu causa materialis meditationis est triplex, juxta tres vias distributa, viam scilicet purgativam, illuminativam & unitivam. In via purgativa materia meditationis est quodvis peccatum, tentatio, passio. Quatuor hominis novissima, aliaque motiva contritionis. In via illuminativa materia est Vita Christi aut Sanctorum, Regula, item actio reformanda. In via Unitiva materia est, Attributione Divina, Beneficia nobis collata aut promissa, gloriosæ vitæ Christi meditatio. Formalis causa, seu ratio formalis continetur descriptione paulò antè allatâ quòd sit attentâ & cunctabunda ponderatio, ad serium in omni perfectionis genere perfectum spiritûs promovendum directâ, uti contemplatio.

De remota & propinqua Præparatione ad Meditationem.

Remota præparatio consistit in tribus præcipuè. 1. In removendis obstaculis fructuosæ meditationis, cujusmodi insinuantur à D. Bernardo Serm. 23. in Cantica. Sequentia quatuor: Culpa mordens, Cura pungens, Sensus agens, Phantasia distrahens. Culpa mordens amovenda est per frequentem mentis compunctionem, crebram conscientie discussionem, accuratam errorum Confessionem, & seriam occasionem relabendi declinationem. Cura pungens oriri solita ex nimia scrupulositate, aut ex nimia de futuris contingentibus, vel de muniis sibi impositis anxietate, præcavenda est cum filiali fiducia Divinæ Providentiæ se committendo, respectus humanos contemnendo, Deo non hominibus studendo placere. Sensuum & Phantasiæ evagationes præcludendæ sunt per assiduam mortificationem, & seriam ad res salutares applicationem.

2. Ad præparationem ritè instituendam requiritur, ut potentie animæ necessariis præfidiis instruantur, pios libros lætando: media ad omnimodum perfectum spiritûs, Dei servitium, salutaria revolvendo, certas denique methodos piè meditandi accuratè requirendo. 3. Requiritur bona corporis dispositio, pruden-

denter præcavendo, ne vires ejus indiscretis mortificationibus onerentur ac debilitentur. Proximè se præparaturus, prius meditationem sibi prælegere debet aliquo tempore ante, juxta institutum S. Ignatii, perlectam in pauciora, ut putà tria succinctè dividens puncta memoriæ mandabit, ne nimia multitudo sensus obruat; Divinamque implorabit opem, quò meliorem profectum sortiatur. Quò melius autem in hac distributione punctorum progrediatur, sequentem modum adhibere poterit; Exempli gratia in assumpta meditatione.

### De aliquo Sancto

1. Considerare poterit, quomodo DEUS Sanctum N. elegerit, vocârit, justificârit, & ad illum Sanctitatis gradum perduxerit. 2. Quomodo Sanctus divinæ gratiæ sit cooperatus, serio studio perfectionis, maximè harum vel illarum virtutum. 3. Quomodo Deus eum remunerârit, & glorificârit, in hac vita donis & miraculis, in morte solatio, in altera vita coronâ gloriæ & consortio Sanctorum.

### In Meditatione de Virtute aut Vitio.

1. Considerare potest quænam natura hujus virtutis aut vitii, quæ proprietates, qui actus, quæ auxilia gratiæ necessariæ à Deo offerantur, quæ lumina, stimuli, occasiones virtutum hanc exercendi, aut vitium hoc vitandi. 2. Quomodo Christus, B. Virgo, aut alii Sancti hos vel illos virtutis actus exercuerint, hos vel illos vitii actus fugerint, & quonam modo evitandi sint. 3. Incitamenta cujusmodi sunt, v.g. Commoda ex virtute, damna ex vitio provenire solita, in hac vita, in morte, & in altera vita.

### In Meditatione de Regula aut actione aliqua ordinaria.

1. Quis finis & sensus Regulæ, quis finis & modus talis actionis perfectè obeundæ, quæ auxilia gratiæ, & stimuli addantur ad strenuè cooperandum. 2. Quàm perfectè Sancti hanc Regulam, aut actionem obierint, quàm verò tu imperfectè. 3. Incitamenta ut supra.

### De Praxi ipsa meditandi.

Perfectis supra dictis, meditaturus sistat se vivâ fide in Conspectu Dei lucem habentis inaccessibilem, in conspectu SS. Matris ejus, & in tota Angelorum Divinæ Majestati adstantium Curia, & coram iisdem magna cum humilitate, reverenterque Divinum impleret auxilium, quò fructuosius proposita meditatio instituatur. 2. Præmittat orationem præparatoriam, quâ gratiam petat, vires & actiones suas hâc meditatione ad Dei gloriam cultumque dirigendi.

### De Modo discurrendi in Meditatione.

1. Ad discurrendum faciliùs & ulteriùs de singulis punctis, præsertim materiæ

historicæ confert aliquas circumstantias sequenti versu comprehensas expendere. *Quis? Quid? quis fructus? cur? quomodo? quidnam? ubi? quando?* Seu personas, verba & opera, effectus seu fructus, causas, modum, virtutes & attributa Divina, locum, tempus. E. gr. In Passione Domini: quis passus est? Innocentissimus Jesus. Quid? admiranda & inaudita tormenta. Quis fructus? ut viles terræ vermiculos à malo culpæ & pœnæ liberans omni bono gloriæ & gratiæ impertuat. Quomodo? patienter amore nostri. Quænam? Ubi? Quando? In hyeme natus in stabulo, in Paschate passus, &c.

Qui modus tamen proprius sit materiæ historicæ, potest tamen ad alias etiam materias accomodari, expendendo nimirum in qualibet meditatione tria præfixa puncta, ut supra dictum est. Et in primo quidem puncto virtutis, aut actionis, aut vitii cuiusdam particularis, qualitatem, causas, effectus, modum, locum, tempus, &c. In secundo puncto, expendendo modum, quo Sancti in hac terra degentes ad planandam hanc virtutem, aut extirpandum vitium processerint. In tertio puncto, ruminanda incitamenta huic virtuti aut vitio accommodata, quæ puncta pro oportunitate temporis prætrahi poterunt, instituendo discursum aliquem ex tribus sequentibus, quod P. Jacobus Alvarez proponit meditationi crebro interferendos. Primus modus est dirigendo conceptus & cogitationes nostras ad nos ipsos, v. gr. sic: O anima mea! En, quid pro te tam ingrato patitur Christus, quàm dira, & ex quàm gratuito amore? Quàm meritò illi compati, illum redamare & imitari deberes! Secundus est, ad Deum præsentem sic: O bone Jesu, Tu Rex gloriæ pro indignissimo servotuo, cujus nec amore, nec existentia, vel minimum indiges, tanta pateris spontè? Ex amore! quid me vilissimum mancipium tuum, qui te toties offendi, amore tui non oporteret pati? Tertius modus est: Audiendo DEUM ita nos alloquentem: Ecce homo, ego Creator & Salvator tuus patior pro te tam ingrato, idque ut te à peccatis & pœnis inferni liberem, ad imitationem mei invitem, ac æternæ beatitudinis consortem faciam; an non meritò me redamare, & amore mei multa ardua facere & pati deberes?

### De Affectibus & Actibus.

Per prædictos actus aut potius discursus medicans excitare conetur pios animi motus seu affectus, quorum licet alii sint proprii Viæ purgatiæ, ut Contritionis. Alii Illuminatiæ, ut imitationis; alii Unitivæ, aut Amoris. Tamen in emni ferè materia usitatores hi to. ad quos alii facilè reducuntur, occurrunt exercendi: Videlicet, Fidei, Spei, Amoris, Timoris, Admirationis, Gratiitudinis, Gaudii, Contritionis, Compassionis, Imitationis, qui omnes sequentibus versiculis complexi sunt.

Crede Deo, spera, time, ama, mirator & esto  
Gratus, gaudeto, geme, luge, imitator honestum.

Hi actus aut affectus interferri poterunt meditationi aut discursibus, valde enim meritorii sunt & perfaciles, dummodo bene dispositus instituantur, ex iis enim animus vel maximè excitatur ad amandum Deum, virtutesque amplectendas, easque cordi inferendas. Porro affectus hi excitari possunt. 1. Exercendo illos quo ad actus internos & pia desideria. 2. Optando semper hucusque eisdem perfectè exercuisse, dolendoque de nostra socordia. 3. Proponendo deinde perfectiùs eisdem frequentare, corde, & ore, & opere. 4. Idem ut omnes præsentent optando. 5. Gratiam ad id necessariam efflagitando, prout sequenti paragrapho de singulis ostenditur.

### De modo eliciendi prædictos Affectus.

*Fides excitatur* ex consideratione infallibilis veritatis infinitæ Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis Divinæ, aliorum item motivorum credibilitatis; ut miraculorum, consensus Patrum, Constantiæ Martyrum, &c. Exercetur verò. 1. Allentiendo omnibus à Deo revelatis, & desiderando pro illorum veritate mori. 2. Optando sic eam semper exercuisse, dolendoque de nostra in rebus fidei stupiditate. 3. Proponendo eam impofterum intrepidè conservare, confiteri, rudes docere; ejusque actus per diem crebriùs renovare. 4. Gratiam ad hæc præstanda implorando. Porro ut facilius quis hæc præstare valeat, subjungetur *Affectus Fidei*. E. g. Credo, Domine, credo. Tu adjuva incredulitatem meam. Suggestur alia mundus, caro, dæmon; non credo. Verbum tuum manet in æternum. Pro hoc exige à me Domine sanguinem, exige spiritum: ecce paratum cor meum Deus, paratam cor meum. Mille gladiis, ignibus, rotis exhibebo hoc corpus, ut tua stet illa sacra veritas. *Vel sic*: Quis me separabit ab hac veritate? Certus sum, quod nec gladii, nec Cruces, nec tela, nec ignes, nec inferorum tormenta me poterunt ab ea separare. Tua veritas, Deus, fallere non potest, tua Sapientia falli non valet. Tu dixisti: Satis hoc mihi est præ omni ratione humana, ut etiam sanguine subscribam.

*Spes excitatur* ex consideratione infinitæ Misericordiæ & Charitatis Dei. Exercetur. 1. suis quidem viribus diffidendo, sperando tamen sibi & aliis per misericordiam Dei veniam, gratiam & gloriam. 2. Optando sic semper in Deum sperasse, & dolendo de nostra pusillanimitate. 3. Cùm hac spe ardua quæque aggredi, auctusque fiduciæ etiam in arduis & adversis frequentare proponendo. 4. Eadem, ut alii velint, optando. 5. Gratiam petendo. *Affectus Spei*. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? habes bonitatem Dei & misericordiam paratam, quæ vult; habes Omnipotentiam assistentem, quæ potest opitulari; habes sanguinem & merita Christi, quæ pro te apud æternum Patrem perorant. Projice te ergo anima mea in brachia misericordiæ & omnipotentia DEI. Quàm nihil potes ex te, tam omnia potes in eo, qui te confortat. *Vel sic*: In te Domine speravi, & quis mundi impetus, quæ carnis illecebra, quæ dæmonum astutia

astutia prævalebit? Non non confundar in æternum. In te Domine speravi, quod vitium non extirpabo? quam virtutem tuâ gratiâ non assequar? &c. Dicant omnia ossa mea; tu es spes mea, Deus meus in æternum.

*Charitas excitatur* potissimum consideratione attributorum Dei, e. g. Bonitatis, Charitatis, &c. Item beneficiorum, omniumque, quæ Christus amore nostri dixit, fecit, passus est. Exercetur 1. gaudendo de tanta potentia & Majestate Dei in Sanctis, omnibusque aliis creaturis relucente. 2. Opando semper Deum perfectè amâsse, dolendoque de tepiditate in amore Dei. 3. Proponendo ardentius deinceps amare, illius voluntati tuam conformando, omnia opera ex motivo charitatis faciendo. 4. Eundem amoris zelum aliis precando. 5. Gratiâ petendo. *Affectus Charitatis.* Domine Tu scis, quia amo te: quoniam tu solus bonus, Tu solus Sanctus, Tu solus dignus omnium creaturarum amore. Supplete vos, ardentia Cherubim, Tu ardentior Cherubinis Virgo, quidquid deest amori meo. O vivam! ô moriar amore tui. Moriar potius, quàm te non amem. *Vel sic.* Domine quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Tu solus Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Diligam te Domine, non quia mihi beneficis, aut remunerator liberalissimus; sed quia in te ipso es summa & infinita bonitas, sola, & una super omnia amabilis. Moriar Domine hoc momento, quo te amo, priusquam succedat aliud, quo te non amem. *Vel sic.* Exigis à me cor meum Domine: O si mille, ô si infinita haberem! omnia tui amoris occuparem. Vis amorem operibus experiri? Confunde me, contunde me; contere me, in infernum demerge me; non dimittam te, &c.

*Timor excitatur* ex consideratione inscrutabilium Judiciorum Dei, Suppliciorum damna is præparatorum, Passionis Christi ob aliena peccata susceptæ, &c. Exercetur. 1. Divinam Majestatem & Justitiam humiliter agnoscendo, reverendo, timendo. 2. Dolendo de nostra in hoc timore concipiendo negligentia. 3. Proponendo omnes conscientie maculas seriâ pœnitentiâ eluere. 4. Eundem timoris affectum aliis optando. 5. Gratiâ postulando. *Affectus Timoris.* Timor & tremor venerunt super me, quia irritavi iram tuam Domine. Quò fugiam à facie iræ tuæ? Quando undique tu me circumstas, & quem Patrem habere nolui, strictissimum Judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo.

*Admiratio excitatur* ex profunda contemplatione incomprehensibilium divinorum attributorum, Sapientiæ, Justitiæ, Misericordiæ, ex consideratione item Mysteriorum fidei, dignitatis animæ rationalis, gravitatis peccati, cæcitatibus mundi, &c. Exercetur. 1. Magni supradicta æstimando, & humanâ comprehensione majora agnoscendo. 2. Dolendoque de nostra in his suscipiendis insensibilitate. 3. Opando sic semper affectum fuisse, pium hunc erga Deum sensum per diem frequentare proponendo. 4. Idem aliis favendo cum petitione gratiæ. *Affectus Admirationis.* O cæcitas mea! ô impudentia! ô audacia! servus nequam tam bonum

Dominum tam indignè tractare potui! ô bonitas tua Deus! ô patientia incredibilis! ô misericordia infinita! Tu, non ferre tantùm delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

*Gratitudo excitatur* consideratione divinorum beneficiorum tam admirandorum ratione Personæ conferentis & recipientis. Exercetur 1. beneficia intimè & infimè agnoscendo, pro iis se totum divino obsequio devovendo. 2. Dolendo, &c. 3. Statuendo ea compensare pro viribus. 4. & 5. ut supra. *Affectus Gratiitudinis.* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. O inauditam Dei Bonitatem! Quis te Deus bene satis laudare sufficit, dum pro me redimendo de cælo ad terram venire, crudelissimumque mortis genus subire voluisti, tantùm ne ego vilissimus terræ vermiculus perirem. Quid igitur retribuam? O vos omnes, qui timetis Deum, venite & audite, & narrabo vobis, quantum fecit Deus animæ meæ. Magnificate ergò Dominum, mecumque gratitudinis hymnum ei cantate, &c.

*Gaudium excitatur* Consideratione divinæ gloriæ & Majestatis, ab omnibus creaturis Deo debitæ. Exercetur 1. Gaudendo de tanta illius Majestate. 2. Dolendo. 3. Proponendo omnia læto animo à Deo acceptare. 4. & 5. ut supra. *Affectus Gaudii.* Tu es, qui es, & hoc unum mihi placet, ac de hoc summè gaudeo, quod es, qui es, infinitè perfectus, in Sapiencia, Potentia, & Bonitate. Non possum hoc exprimere, nisi verbis illius amanti; Si tu DEUS esses Augustinus, & ego Augustinus essem Deus; ego Deus vellem, ut tu Augustinus esses DEUS, ita mihi placet, ut tu sis tu. Igitur cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Satio extra me Deus meus, ut veniam ad te.

*Contritio excitatur* Consideratione gravitatis & malitiæ cujusvis peccati, suppliciorum ei debitorum, bonorum ob illud amissorum, cruciatuum à Christo ad illud expiandum susceptorum; Novissimorum, Divinorum, Beneficiorum, &c. Exercetur 1. Sua omnia peccata ex amore Dei super omnia dilecti detestando. 2. Dolendo ut supra. 3. Statuendo deinceps crebro de peccatis dolere, præteritasque negligentias majori perfectionis studio resarcire. 4. & 5. ut supra. *Affectus Contritionis.* DEUS meus, summa Bonitas, omnium creaturarum, tuoque ipsius amore sola, & infinitè digna; doleo, quod tam impudenter te offenderim. Doleo, non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus; ecce me, discerpe me. Paratum cor meum, Si tormentis inferorum deleri possit: ecce me; nullum est quod non merui; nullum quod amore tui non præeligo peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quòd aliquando post quotquot annos te offensurus sim, hoc potius momento acerbissima morte me tolle, quàm permittas ad infelicissimum illud tempus supervivere.

*Compassio excitatur* contemplatione cruciatuum Christi, cæcitatibus periculis, suppliciorumque pereuntium animarum Christi Sanguine redemptarum. Exercetur 1. Christo tam indigna amore nostri patienti compatiendò, & de peccatis

propriis & alienis, ut causis dolorum Christi, dolendo. Item dolorum de interitu tot animarum cum zelo eas juvandi concipiendo. 2. Dolendo ut supra. 3. Eis imposterum quâ precibus, quâ aliis auxiliis subveniando. Reliqua ut supra. *Affectus Compassionis* erga Christum passum tres jam assignati sunt. *De zelo animarum Affectus*. Amabilissime Jesu, Tu propter nos homines, & propter salutem nostram descendisti de cœlo. Quot hoc sine sustinuisti elementorum injurias? quot suscepisti itinera? quot labores & dolores? quot mortes exantlasti? Effudisti te ad omnes, divites & pauperes, honoratos & abjectos, senes & pueros, in urbibus & pagis, in campis & desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animæ n. stræ, quanti tuus sanguis, hunc enim pro illis dedisti. Quid igitur me non etiam oporteret sustinere? Quomodo non laborare ac sudare, quo vel unam animam Christo lucrifacerem. O animæ Christi sanguine redemptæ? O si omnes, ô si vel unam meo sanguine & acerbissima morte salvare possim!

*Imitatio excitatur* consideratione perfectissimarum virtutum Christi, B. V. Mariæ, & aliorum Sanctorum. Exercetur. 1. exardescendo cupiditate omnium virtutum nobis maximè necessariarum, quas in Christo, B. Virgine, Sanctisque suscipimus. 2. Desiderando id nos sollicitius præstitisse, ingemiscendo præterea, quod tam longè adhuc ab illorum perfectione culpâ nostrâ absumus. 3. Earum actus per diem exercere proponendo. 4. Gratiam pro omnibus ad id exequendum enixè efflagitando. *Affectus Imitationis*. Cùm in forma Dei esses, Amor meus JESUS, exinanivisti temetipsum divitiis, honoribus, & Sapientia, factus es pro me egenus ac despectus, & ludibrio habitus. Fac possim esse dives: nolo, quia tu fuisti pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus, nolo quia tu contemni elegisti. Fac possim Sapientiæ famam lucrari: nolo, quia tu pro fatuo haberi maluisti. Electio tua, est regula electionis meæ. Et sic eligo solùm ad majorem tui imitationem. Porro hi ac similes alii affectus non debent in meditatione simul exerceri, sed nunc hi vel illi, prout Spiritus S. impulsus moverit, elici possunt, magnoque studio continuari; error enim est temerè ex uno affectu in alium transilire.

### De Colloquiis rectè in meditatione instituendis.

Colloquia desiderijs & suspirijs intermissa variè dirigi possunt. 1. Ad SS. Trinitatem, aut quamlibet D. vinam personam, admirando scilicet & extollendo divinam Majestatem, Bonitatem, Justitiam, Potentiam, Sapientiam, Charitatem, &c. 2. Ad B. Virginem, vel Sanctos, iis congratulando, Deum pro collatis iis donis gratiæ & gloriæ laudando, nos ipsis dissimiles dolendo, eorum suffragia implorando. 3. Ad impios & hostes Christi, eorum cæcitatem & duritiem malitiosam detestando, deinde nos iis tanto pejores judicando, quantò à Deo majoribus præventi sumus gratiis quibus tam segniter cooperamur. 4. Ad nos ipsos, nostram cæcitatem, ingratitudinem, tepiditatem arguendo. 5. Ad res etiam sensu carentes, mirando & dolendo nos iis ingratiore, surdiores ac insensibiliores.

## Causæ &amp; Remedia distractionum.

Distractionum causæ tres sunt præcipuè; Naturæ infirmitas, culpa & negligentia nostra, & Dæmonis astutia. Contra has: Remedia distractionum itidem triplicia sunt, remota, proxima, & in ipsa meditatione præstanda. *Remota* sunt tria, præcipuè. 1. Crebra & fervens postulatio Doni attentè meditandi, resignandi se humillimè ad omne placitum Dei. 2. Serium studium extirpandi amorem sui & rerum caducarum, proficiendi verò in amore Dei & rerum æternarum; anima enim magis tibi est, ubi amat, quàm ubi animat. 3. Assiduum studium exercitii resignationis & conformitatis cum Divina voluntate, quo spectat, ut quis non nimium de rebus ad suum officium & salutem pertinentibus angatur, sed ubi moraliter se erit, quod in se est, Divinæ Providentiæ & Bonitati confidere, & penitus acquiescere consuefeat.

*Remedia proxima* immediatè Meditationi, præmittenda etiam tria sunt. 1. Manè quàm primùm quis expurgatur, revocare in memoriam materiam meditationis, & altissimè amabilem Jesu Christi memoriam cordi insculpere. 2. Firmum propositum concipere non admittendi spontè distractiones cum renovatione intentionis, & gratiæ petitione, juxta Doctrinam D. Bernardi: Veniens ad Ecclesiam, pone manum tuam super os tuum, & dic: Expectate hinc cogitationes pessimæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui, & visites templum sanctum ejus. 3. Constituire se sub initium meditationis in conspectu Dei juxta illud Psal. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Remedia in ipso meditationis decursu, distractiones abigendi, sunt generatim hæc: 1. Ordinatè discurrere circa singula materiæ puncta. 2. Præterire surdâ quasi aure ingredientes se cogitationes, animum avertendo potius, quàm discutiendo quales sint. 3. In defectu materiæ & discursûs ad hæc similia suaviter ruminanda animum convertendo, v. g. 1. Divina attributa. 2. Beneficia nobis collata. 3. Merita Christi. 4. Ingratitudinem & nostras misérias, &c. 5. Quomodo SS. Virgo aut Sancti vixerint. 4. Alloqui seipsum, quid de proposita materia aliis dicere vellet, si sibi imponeretur, idque quod occurrit sibi applicando.

## De Causis Illusionum.

Illusiones, quæ meditati occurrere consueverunt à triplici spiritu emanant, scilicet à spiritu carnis, spiritu mundi, spiritu maligno. Spiritus carnis utitur rationibus è prudentia carnis, ex amore, & Judicii proprii instinctu desumptis, ad illaqueandam voluntatem sub specie boni, pro fine intendens commoditatem, voluptatem, & carnis libertatem. Mundi spiritus utitur rationibus ex mundi legibus petitis ad decipiendam voluntatem, cui sub specie boni suadet cupiditatem mundarum & fluxarum rerum, honorum, divitiarum, ultionis inimicorum, &c

Malignus spiritus utitur hoc utroque spiritu tanquam instrumento, & ad eundem finem tendit per varias illusiones intellectus & voluntatis, quarum sequentes præcipuæ sunt.

*Primum genus Illusionum* quoad materiam meditationis est, non habere materiam selectam pro meditatione, sed præ cæco amoris proprii impetu, seu mali spiritus impulsu tales materias meditationis assumere, quæ sibi non conveniunt, ut si v. gr. plenus pravis habitibus, & indomitis passionibus, deligat sibi materias subtiliores de Attributis Divinis; vel si pusillanimis & scrupulosus aliquis assidue meditari præsumat de infinita Justitia Dei, de peccatis præteritæ vitæ, de suppliciis peccatoribus æternè influctis, &c. quibus ad desperationem potius quam emendationem disponatur. *Secundum genus*, quo ad modum meditandi est, contemnere ordinariam meditandi praxim absque præparatione, nullâ formâ servatâ, nec proposito fine temerè ad meditandum proflire. *Tertium genus est*: Aut nimium suis viribus confidere existimando se propriâ suâ industriâ absque peculiari concursu Divinæ gratiæ bene posse meditari: aut è contra nimium sibi diffidere omni cooperatione sepositâ. *Quartum genus est*: Aberrare à vero fine & scopo meditationis, quod potest contingere. 1. Si quis speciosis satanæ præstigiis fascinatus excitet se non ad veras, sed umbratiles virtutes confectandas sub specie boni. E. gr. Si quis negligat mortificationes sub specie discretionis, vel externas virtutes, ne ob eas magni fiat: Si quis amicitias particulares, sensuales & periculosas foveat sub specie fraternæ charitatis; si quis negligens sit in cura perfectionis sub specie majoris gloriæ Dei in aliis promovendæ; Si quis desideret sublimia officia sub specie majoris fructus in se aliisque promovendi; Si quis in iis tantum obedire velit, in quibus humana prudentia parendum suadet sub specie veræ sapientiæ, discretionis & zeli gloriæ DEI. 2. Si ejusdem satanæ versipellis astu delusus aliquis excitet se sub specie majoris boni ad affectus quantumcunque pios, alienos tamen à propriæ vocationis gratia cum inquietudine mentis & constantiæ periculo. E. gr. Si quis solitariam & contemplativam vitam amplexus, sub prætextu zeli convertendarum animarum, quarum salutem Deus tantopere desiderat, speciosis rationibus ad vitam activam, aut mixtam desiderandam inclinare se sinat cum periculo propriæ vocationis deserendæ, ex claustro ad sæculum, si non potius ad infernum decidendi.

### De Remediis Illusionum.

*Contra primum genus Illusionum* quo ad materias meditationum expeditum remedium est, non temerè sed juxta consilium P. Spiritualis aut peritioris cujuscumque assumere materias, quæ suæ necessitati spirituali, non curiositati conveniunt. *Contra secundum* quo ad modum, illud optimum censendum est, praxim ordinariam meditandi studiosè observare. *Contra tertium præsentissimum antidotum est*, cum profunda humilitate gratiam Divinam sibi necessariam agnoscere, eamque

eamque obnoxie implorare, quasi nihil omnino ex parte sua ad bene meditandum conferre posset: nihilominus tamen eum prædicta demissione omnem adhibere conatum in requisitis ad bene meditandum præstandis, quasi totus meditationis successus ex sua industria dependeret. *Contra quartum* tria potissimum servantur remedia, quorum primum est, sibi omnino persuadere, verum ac præcipuum meditationis nostræ fructum esse, meditari eo fine, ut acquiratur perfecta defectuum emendatio, passionum refractio, victoria tentationum, puritas conscientia, quotidianarum functionum perfecta executio, solidarum virtutum acquisitio; circa quæ, si proposita practica serio instituantur, neque tamen interna statim consolatio advertatur, non ideo desperandum est, sed Divinæ Providentiæ committendum, quæ juxta D. Bernardum serm. 5. in Quadr. instar amantissimi patris panem nobis porrigit, quo alimur, non cultrum, id est, consolationes, quibus abutentes nos ipsos jugulemus. Secundum est, cognoscere essentiam, & actus præcipuarum virtutum, uti & oppositorum vitiorum [quæ omnia satis abundèque in hoc libro videre licet] illarumque perfectioni serio studere, actus earum internos & externos frequentando, cum plena rationis advertentia, & pio promptæ voluntatis affectu ex pura intentione, & quidem majori indies conatu & proficiendi desiderio, etiam in minimis defectibus eradicandis, Tertium est, Vocationem suam, institutum & modum ejus vivendi sibi ut efficax prædestinationis suæ medium præordinatum divinitus ac prævisum intimè amare, grato animo amplecti, seque tanto Dei Beneficio indignum agnoscere.

### De Observandis post Meditationem.

Ut circa meditationem ritè, rectè & cum debito fructu procedatur, nonnulla etiam in fine meditationis præstanda sunt, quæ infra subjiciuntur.

### De Recollectione post Meditationem instituenda.

Finitâ Meditatione examinandus est accuratè successus, qui si malè successit; causæ requirendæ sunt cum dolore & proposito emendationis, & offerendæ aliorum ferventiores meditationes æterno Patri in unione Meritorum Christi pro se & aliis, sin bene, gratiæ agendæ sunt cum proposito eundem modum deinceps servandi, imò & perfectiorem, illum nimirum, quem Sancti degentes in terris Divinæ Majestati obtulerunt. Ad quod ritè præstandum recolere expediet signa boni, quàm mali successus. Signa porro boni successus sunt. 1. Elapsâ horâ sentire se paratum ad diutius meditandum, si obedientia & vires paterentur. 2. Non spontaneè distractionibus variis in hære. 3. Servare ordinarium modum bene meditandi. 4. Proposita non tantùm in meditatione proponere, sed opere complere, & in executione propositorum sentire solito majorem facilitatem, robur, gaudium, non tantùm tempore consolationis, sed etiam tempore tentationis.

Signa verò mali successus sunt his contraria. 1. Cum tædio horæ signum expectare, avidèque ad finem meditationis anhelare. 2. Negligentem fuisse in repellendis tentationibus aut distractionibus. 3. Non servasse modum, ordinemque bonæ meditationis. 4. Nulla proposita practica proposuisse efficaciter, aut proposita non exercuisse. 5. Exiguum fervorem sentire in perfectione obtinenda. Secundò finita meditatione revocanda sunt in memoriam proposita practica in meditatione facta, firmitus proponenda, memoriæque infigenda, vel si nulla vel certè non satis in particulari formata sunt, tunc aliqua præsentis diei accommoda formanda erunt, prospiciendo simul occasiones, & præordinando illa exequendi hoc vel illo modo, hæc vel illà opportunitate, cum tali reflexione, attentione, intentione & devotione. 3. Consultum est aliquando in solidos quosdam & solidos meditationis successus, motiva efficaciora, seu proposita majoris momenti adnotare, imo etiam ex veritate per solidum aliquem discursum evidentius cognitâ, adspirationem aliquam jaculatoriam sibi inter diu repetendam proponere, quâ affectus excitati, & proposita practica in memoriam revocentur. E. gr. Excitatum desiderium cavendi peccata venialia, renovari potest hoc vel simili modo: Peccatum venialissimum non esset committendum, etiamsi mille mundi possent per hoc obtineri, & ego tam facilè deinceps veniale committeram & deliberatè nunquam in æternum. 4. Quæreadæ sunt occasiones per diem & acceptandæ, ut proposita concepta in actum redigantur.

### Proposita Practica viæ Purgativæ accommoda.

Triplex via proponitur volenti proficere: Purgativa una. Illuminativa altera. Tertia Unitiva. Purgativa est, quâ homo à vitis & defectibus se purgare studet. Illuminativa, quâ virtutes plantat. Unitiva, quâ in amore Dei perficitur. Juxta has tres vias proposita practica instituenda sunt, & quidem volenti fundamentum perfectionis jacere, hæc priùs in via Purgativa proposita statuenda sunt. 1. Omnia etiam minime venialia peccata maximè magis voluntaria, in quæ pronior esse solet prolapsio, conari vitare his vel illis mediis. E. gr. Excitatio præsentis Dei, Memoria Novissimorum, Beneficiorum à Deo collatorum, &c. 2. Cavere occasiones talium tentationum, portas sensuum strictè custodiendo, submissè de se sentiendo, Dei gratiam implorando. 3. Mortificare has vel illas passiones tanquam radices peccatorum hæc vel illâ ratione. E. gr. Viriliter iis resistendo, post lapsum statim resurgendo, virilius decertare proponendo, de victoria non desperando. 4. Solito devotiùs Sacramentum Confessionis obire, dolorem de peccatis totius viæ cum firmo proposito emendationis concipiendo. 5. In fine hebdomadæ instituere serio recollectionem hebdomadariam, dispiciendo profecerisne, an verò defeceris? Causas defectuum inquirendo, media proficiendi indagando, seriòque proponendo. 6. Certas prænitentias & mortificationes assumere ad noxas emaculandas, vitamque emendandam, idque amore Christi passi. 7. Abstinere à risu, jocis,

jocis, otiosis verbis omni specie læsionis fraternæ Charitatis, Impatientiæ, &c. 8. Quotidie quasi inchoare serîo servire Deo, in eximia mentis puritate, & cogitare, quid si hæc dies ultima esset vitæ tuæ, quid, inquam, faceres ad majorem animæ serenitatem consequendam & augendam.

### Proposita Practica viæ Illuminativæ accommoda.

1. Imitari Christum, B. Virginem & Sanctos in Virtutibus, quibus illi degentes in terris enituerunt, iterare per diem actus earum externos & internos cum tali pia reflexione ad hæc vel illa incitamenta, quibus quis senserit inter discurrendum se maximè commotum: Quod idem in reliquis propositis intelligendum est. 2. Candidè se Patri Spirituali manifestare, optare corrigi, observari, emendari, despici, idque ex animo humilitatis intimæ, abnegationis sui. 3. Indifferentem paratumque se offerre Deo ad serviendum illi, quocunque in munere, statu, gradu, loco, sicut illi placuerit. 4. Studere exactè observationi Votorum, Regularum, Ordinationumque proprii instituti maximè illius, cujus frequentior solet esse transgressio, idque his illis adminiculis. 5. Bonam intentionem actualem singulis operibus bonis & indifferentibus præfigere, eamque certis quibusdam suspiriis sæpiùs instaurare. 6. Accuratam pretiosi temporis gratiæ Rationem habere, nullam ejus partem otio terendo, sed aliquibus studiis, & exercitiis vocationis suæ congruis impendendo. 7. Assuescere omnes homines intueri, ut vivas Dei imagines, capaces æternæ gloriæ, pretioso Christi Sanguine purpuratas, atque secundum hanc piam reflexionem humiliter ac reverenter agere cum singulis. 8. Affectare, quærere & acceptare occasiones virtutum exercendarum, illarum maximè, quibus potissimùm egere videmur. 9. Non invidere aliis dona Dei, sed pro iis gratias agere, omnes honorare, benignè omnes alloqui, onera & defectus illorum patienter ferre, &c.

### Proposita Practica viæ Unitivæ accommoda.

1. DEUM ubique præsentem revereri, amare, per actus amoris, aut jaculatorias preces ad Illum adspirando, cum hac vel illa pia reflexione ex creaturis ad Creatorem ascendendo, quâ se quisque senserit vehementiùs commotum. 2. Attentè & devotè obire orationem tam vocalem quàm mentalem juxta proprias de his industrias ante & infra contentas. 3. Omnia opera bona & indifferentia eo fine perficere, ut soli Divinæ Majestati placeant. 4. Visitare sæpe Christum in Ven. Sacramento, piè isthic præsentem adorando, in intè se illi uniendo, ad omnia resignando gratiam humiliter petendo, &c. 5. Uri frequenter communionem spirituali, singulisque horis se recolligere, renovare actus aliquarum virtutum ad dirâ Salutatione Angelicâ, cum magno zelo gloriæ Dei B. Virginis, Sanctorumque, & salutis proximorum. 6. Singulis mensibus & hebdomadis instaurare spiritum, fervoremque serîo proficiendi in omnimoda perfectione, amoreque peculiari

Dei,

Dei, Beatæ Virginis, & SS. Patronorum, cum ferventi & ardenti zelo eorum virtutes imitandi. 7. In omnem vitam cupere multa ardua facere, & pati pro gloria dilecti Sponsi Jesu, B. Virginis immaculatæ Matris ejus, & salute animarum, sin minus, cupere dissolvi & esse cum Christo. Possent hîc plura subjungi, quæ ad præsentem materiam facerent, quia tamen ex his, quæ hæctenus dicta sunt, plura aliâ faciliè colligi possunt, & proprius cujuslibet affectus divino Spiritu succensus ultroneo conatu plura adinvenire solet, ideo hæc tanquam generalia documenta pro interlm dixisse sufficiat. Quanta tamen hæc ipsa sint, si animo serio, ferventi & constanti ea observare conatus fueris, colliges ex effectu & fructu, quem haud dubiè nunc in tempore, & olim in æternitate metes.

## SERMO XXXVIII.

D E

### Præstantia Meditationis Passionis Christi.

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. I. v. 12.

P A R S P R I M A.

**I**Nter cætera spiritualia exercitia primatum tenere videtur devota passionis Christi meditatio seu lectio, ut Aſceræ passim tradunt, ut mox fuse patebit, Fructum verò ex hac meditatione pullulascens, Ven. Blosius hæc verbis explicat: Beata profus anima illa, quæ amabilem vitam & Passionem dilecti sui JESU Christi, tanquam pretiosam margaritam in scinio memoriæ suæ semper reconditam habet, & ubique secum circumfert. D ei non potest. quantum utilitatis adferat devota & frequens meditatio vel lectio Passionis Domini JESU. Hinc enim peccatorum venia, & pravorum affectuum extinctio: hinc cordis puritas & mentis illuminatio: hinc conscientiæ pax & tranquillitas, sanctaque erga Deum fiducia: hinc in adversis invicta animi constantia, in prosperis Deo grata depressio: hinc interna consolatio, & gaudium in Spiritu Sancto: hinc vera humilitas, vera charitas, cæterarumque virtutum numerosa cohors: hinc deniq; certa felicitatis æternæ expectatio nascitur. Ita Blosius in Præfatione Margaritæ Spiritualis. Quod confirmat S. Leo, dicens: Audi e & percipi e sublimissimum divinæ Misericordiæ Sacramentum; nam certa atque segura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. Quia ergo vel apprimè hanc passionem in attenta meditatione participamus, inferre licet, quod per eam etiam,